



Decisiones Sacramentales, Theologicæ, Canonicae, & Legales

In Quibus Tota materia Sacramentorum, Theologiæ Moralis, Juris Canonici, & Quæstiones plurimæ Juris Civilis explicantur, dilucidantur, & traduntur, Eruditionibus, Historiis, & Exemplis adornatæ ; Opus Episcopis, Vicariis, Parochis, Confessariis, aliisque Studiosis utile, ac jucundum In Libris novem ...

Decisiones Miscellanæ

Chiericato, Giovanni Maria

Augustæ Vindelicorum, 1730

Decisio LXXIX. Argumentum. Quid, & quotuplex sit Restitutio? Quomodo ea facienda circa damna data per animalia in campis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94626](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94626)

innocentiam sibi, non autem valde utilem experirentur, abstinere ab huiusmodi pactione; tunc etiam, quia praxis communis eorundem navigantium, & negotiantium habet praesumptionem iustitiae ejusdem pacti; & eidem praxi Rota Romana solet absque scrupulo deferre, ut ait coram Ludovico Decis. 126. num. 1. & 2. & coram Merlino Decis. 597. num. 36. & equidem si lucrum eorundem navigantium in prima, & secunda venditione mercium ascendit ad quadraginta, & etiam quinquaginta ducatos, ut suppositum mihi fuit, in uno trimestri; non est onerosum solvere sex socio danti pro capitali ad negotiandum ducatos centum.

Minus officit, quod raro, imò nunquam succedant asserta pericula ignis, naufragii, aut piratarum, quia non attenditur eventus, sed quod potest evenire; certum est autem, quod Qui navigant mare, enarrent pericula ejus, Eccles. 43. 26. & non est sine periculo transitus quadringentorum miliarium, quae decurrunt à Spalato ad Venetias; fallit enim portus & ipse fidem; multaeque naves saepe in portu quiescentes intereunt; unde eo magis per mare decurrentes semper subsunt periculis, ut reflectendo ad instabilitatem maris considerat eadem Rota coram Merlino dict. Decis. 597. num. 25. & 26. & ex auctoritate Senecae, Soti, Baldi, Navarri, ac aliorum DD. demonstrat, Scaccia de Commercio. §. 1. quaest. 6. num. 18.

DECISIO LXXIX.

A R G U M E N T U M.

Quid, & Quotuplex sit Restitutio? Quomodo ea faciendi circa damna data per animalia in campis?

S U M M A R I U M.

1. Restitutio necessaria ad aeternam salutem.
2. Restitutio quid sit?
3. Restitutio differt à satisfactione. Et cur?
4. Restitutionis Praeceptum an sit affirmativum, an negativum?
5. Penitentes restitutionem procrastinantes non absolvendi.
6. Animalium Domini tenentur ad damnum per illa illatum.
7. Damnum dantes cum culpa Theologica tenentur restituere.
8. Damni causam qui dat, damnum dedisse videtur.
9. Nemini licet jus sibi dicere.
10. Statutum Patavinum de animalibus repertis damnisficare campos.

Restitutionis materiam, quae adeo necessaria est ad aeternam salutem consequendam, ut sine ipsa non remittantur peccata, cap. Si res aliena. 14. quaest. 6. cap. Peccatum. de Reg. Jur. in 6. Clerus Patavinus eruditis responsis illustravit: quorum compilatio de more, ad ipsorum studentium laudem, & legentium profectum, exhibetur.

Ad primum Quaesitum, Quid sit Restitutio? Plurimae fuerunt allatae definitiones. Theologi Scotistae dixerunt, quod Restitutio sit reditio aequivalentis pro aequivalente alias indebiti. Ex Scoto in 4. dist. 15. quaest. 1. H. & ex Eminentiss. Cardin. de Lauræa tom. 2. de Virtutib. in gen. disputat. 23. num. 3. ubi num. 6. probat, Restitutionem rerum alienarum praecipere de jure Naturali, Divino,

Gentium, Canonico, & Civili. Thomistae scripserunt, Restitutionem esse actum iustitiae commutativae, quo damnum proximo datum rescitur ad aequalitatem. Ex S. Thom. 2. 2. quaest. 62. art. 1. Et ex Eminentiss. Cardin. de Lugo tom. 1. de Justit. & Jur. disput. 8. num. 17. Theologi Morales asseruerunt, eam esse actum iustitiae, quo cuique reddatur, quod ab eo ablatum, vel acceptum est. Ita ex Eminentiss. Cardin. Tolet. in summ. lib. 5. cap. 17. num. 1. Canonistae responderunt quod Restitutio sit condigna Satisfactio juxta facultates pro damno contra iustitiam irrogato, ex cap. In literis, de Raptorib. & ex Eminentiss. Cardin. Cavaller. decis. 651. num. 4. Alii tandem notarunt, esse actum iustitiae commutativae reddentis unicuique debitum suum. Ex Rebell. de Oblig. Justit. lib. 2. quaest. 1. num. 3. Sive quod sit Redditio rei acceptae, vel damni illati compensatio ex Tamburin. in Decal. lib. 8. tract. 3. de Restit. cap. 1. num. 1. Aut Damni iniuste dati secundum aequalitatem Arithmeticae Restitutio. Ex Layman. lib. 3. tract. 2. cap. 1. num. 1. Omnes quidem optime. Illud tamen advertendum, quod strictè loquendo Restitutio differt à Satisfactione: hac enim propriè locum habet in injuria, & contumelia, quam qui intulit proximo non est absolvendus, nisi ei satisfaciatur. Restitutio verò consideratur in rerum externarum ablatione, vel damni illatione, & ubi damnum cum contumelia conjungitur, ut in vulneribus, homicidiis &c. non solum Restitutio damnorum, sed etiam Satisfactio pro injuria est praestanda, ut ex S. Thom. in 4. sent. dist. 15. quaest. 1. art. 5. advertit Paul. Comitoli. in Respons. Moral. lib. 4. quaest. 11. num. 1. Quod notent Confessarii, ne contumeliosos, qui calamo, aut lingua injuriam irrogarunt proximo suo, absque satisfactione absolvant; quia est actus iustitiae.

Ad secundum Quaesitum, An Restitutionis Praeceptum sit affirmativum, an negativum? diversae relatae sunt opiniones Doctorum, quorum alii illud affirmativum appellant. Scotus de Justit. quaest. 6. art. 2. in fin. Bonacina de Restit. tom. disput. 1. quaest. 1. punct. 2. num. 4. alii negativum adstruunt. Vasquez 1. 2. quaest. 72. art. 5. Molina de Justit. tom. 3. disput. 716. num. 3. Facilis tamen est concordia, quia Praeceptum restituendi est quidem affirmativum, sed non purè, siquidem continet etiam sub se negativum de non retinendo bona aliena, sicut est Praeceptum de non accipiendo, quia detentio est continuata acceptio. Eminentiss. Cardin. de Lauræa d. tom. 2. de Virtutib. in genere disput. 23. num. 224. Eminentiss. Cardin. de Lugo de Justit. d. disput. 8. num. 18. ubi ait, quod licet secundum sonum verborum videatur esse affirmativum, secundum rem tamen sit negativum; idem enim est dicere, Restitue, ac si dicas, Ne retineas alienum; sicut idem est dicere Jejuna, ac dicere, Ne comedas bis in die; quod etiam notat Layman. dict. lib. 3. tractat. 2. cap. 2. num. 2. Ex qua doctrina notare debent Confessarii sollicitudinem, qua compellendi sunt penitentes ad restitutiones debitas faciendum; nam qui est obligatus restituere, tenetur statim restituere. S. Thom. 2. 2. quaest. 62. artic. ultim. Scotus in 4. dist. 15. quaest. 2. & Eminentiss. Cardin. de Lauræa d. disput. 23. num. 220. 221. ubi reddit rationem dicens, quia detinens scienter alienum, est in statu peccati mortalis, nam est perseverantia, seu continuatio furti, cum dominus ita sit invictus, ut res sua ab alio

alio detineatur, sicut quod ab eo surripiatur. Et equidem absque dolore recordari non possum, ad me accessisse Penitentes divites, obnoxios restitutioni tum piorum legatorum, tum mercedum pauperum ab annis decem, & ultra, quos Confessarii annuatim absolverant, licet incapaces absolutionis, quam ego semper negavi huiusmodi *moratis*, tanquam male dispositis ad Penitentiam. Non inficior, impotentes restituere absolvi posse, si habeant voluntatem restituendi in affectu, pro tempore, quo potuerint in effectu; sed Confessarius debet exacte trutinare assertam impotentiam, ut cognoscat, an vera sit, & non ficta? & sit in casu, quæ legitimam excusationem differendi restitutionem concedat? quandoquidem dilatio non est legitima, si creditor, vel dominus rei sit in pari necessitate, vel si debitor se excuset, eo quia solitus sit magnifice se tractare, & pompose vivere, ut faciunt plurimi, qui servos, canes, & equos detinent, & nutriunt, ac creditoribus, quod debent, non reddunt; circa quos cauti sint Confessarii, & præcipue Regulares, ad quorum pedes, non autem Parochorum, huiusmodi debitores se projiciunt. Eminentiss. Cardin. de Lauræa dict. disput. 23. à num. 235. & seqq. Cardin. de Lugo disput. 20. à num. 211. & seqq. & Molin. tom. 3. disput. 753. & disput. 756. ubi advertit, in magno esse damnationis periculo, qui restitutionem ad mortem differunt, vel eam hæredibus faciendam imponunt, tum quia creditores sunt invitati, tum quia ut plurimum ab hæredibus negligitur satisfactio. Ex his resolvendus venit sequens casus.

Petrus in societatem dedit Castaldioni suo suæ, Petrique Uxor uxori Castaldionis gallinas. Hæc & illi satis vicinorum magnum damnum intulerunt. Quaritur, quibus incumbat onus restitutionis?

Triplici distinctione Clerus noster præsentem casum resolvit. Prima est, aut loquimur in foro fori? & in hoc Petrus, & ejus Uxor tenentur ad refarciendum damnum vicinorum satis illatum à suis, & gallinis, ea ratione, quia actio competit contra dominos animalium noxam inferentium, tum ex jure communi. l. 4. ff. Si quadrup. pauper. fecisse dicatur, & ibi Gloss. in formatione casus, Speculator lib. 4. tit. de Injur. §. Sequitur, num. 18. & Tondut. Resol. Civil. part. 2. cap. 140. num. 9. qui loquuntur in terminis de damno illato per gallinas. Tum ex Statuto Patavino in Rubric. de Bestiis in novissim. Impress. pag. 129. & 130. ubi in omnibus casibus damnorum per bestias datorum, præcipitur, earum dominum condemnari. Aut loquimur in foro Poli? & in hoc casu Secunda distinctio est, vel Petrus, & ejus Uxor habent domum amplam cum horto, & curte clausa, ubi detinent Castaldionem, cui, & ejus conjugii suæ, & gallinas dederunt in societatem: adeo ut enutrirî possint suæ, & gallinæ, quæ satis vicinorum nocere non valeant, nisi ex mala custodia Castaldionum, incuria, vel malitia, & tunc ipsi Castaldiones tantummodo sunt obnoxii restitutioni; siquidem ille tenetur restituere, ex cuius culpa Theologica damnum resultat; & iidem Castaldiones tantum in hoc casu censentur culpabiles, cap. Si laferit. 4. & capit. Si culpa tua. 9. de Injur. Eminentiss. Cardin. de Lauræa dict. disput. 23. num. 86. Cardin. de Lugo d. disput. 8. num. 28. Layman, lib. 3. tract. 2. cap. 5. num. 7. Natta

consil. 550. num. 13. Aut Petrus, & Uxor non habent domum amplam, & aptam, ad dictas bestias enutriendas, & [Terria distinctio est] tenentur ipsi ad restitutionem damnorum, tum quia dant causam damni ipsis, qui enim causam damni dat, damnum dedisse videtur. capit. ultim. de Injur. Menoch. consil. 118. num. 24. ubi allegat legem divinam in Exod. capit. 22. tum quia sunt in culpa, nam debebant prævidere, quod illæ bestiæ satis vicinorum nocuissent. Vasquez de Restit. capit. 2. §. 2. dub. 1. ubi id procedere demonstrat in conscientia, & non expectata judicis sententia; quod confirmant DD. apud Dianam part. 7. tract. 7. resolut. 74. Quæ in Coordinato est tom. 7. tract. 8. resolut. 67. ob culpam Theologicam, à qua prædicti Petrus, & Uxor, excusari non possunt: & licet disputent Theologi, an levissima culpa excuset à restitutione in foro conscientia, & diversæ sint opiniones, Eminentiss. Cardin. de Lugo dict. disput. 8. sect. 5. per totam, in casu nostro culpa Petri, & Uxor in casu tertie distinctionis est major levissima, & per consequens nullo modo excusat à restitutione. Vasquez dict. opusc. de restit. cap. 2. §. 2. dub. 2. num. 23. ubi notat, esse latam culpam, quando quis non providit, quæ prudens Christianus provideret, ne animalia sua damna inferrent satis vicinorum, & prædicti Petrus, & Uxor providere debebant, ne suæ, & gallinæ satis vicinorum damnum inferrent, quod cum omiserint, eorum culpa dicitur lata, quæ omnino obligat ad restitutionem. Innoc. in capit. sicut dignum num. 6. num. 5. de Homicid. Eminentiss. Cardin. de Lauræa dict. disput. 23. num. 74. Sed quid dicendum ad hunc alium sequentem casum?

Vicinus, qui sæpe reperit in campis suis suæ, & gallinas, eos, & eas clam captas, domi suæ reclusas detinet. Petit à Confessario, an illos, & illas teneatur restituere? Quaritur, quid responsum?

Alii dixerunt, respondendum esse quod restituat, tum quia nemini licet sibi jus dicere, & propria auctoritate justitiam ministrare. l. Julianus, ff. de Jurisd. Omn. Judic. l. unica. C. Nequis in sua causa Judicet. S. Thom. 2. 2. quest. 66. art. 5. in fin. tum quia imminet periculum scandalis, infamiae, & rixæ, si vicinus detegatur à domino animalium, ea detinere clam apud se, & de furto intenter querelam. Layman, lib. 3. tract. 3. part. 1. cap. 1. num. 9. Alii autamarunt, non esse obligandum ad restitutionem, quia supposito damno campis suis per prædicta animalia illato, ea de jure tanquam noxa pro noxia eidem debentur. l. 1. & tot. tit. ff. Si quadrup. pauper. fecisse dicat. ubi Gloss. & DD. & Instit. eod. tit. §. ceterum. Marfil, singular. 225. num. 2. & compensatio occulta, ubi debitum certum est, saltem certitudine morali; & ubi non absque difficultate, vel expensis judicialiter potest illud recuperari, ab omnibus Doctoribus conceditur. Tambur. in Decalog. lib. 8. cap. 5. §. 1. Molina de Justit. & Jur. tom. 3. disput. 690. Comitulus lib. 3. quest. 39. Eminentiss. Cardin. de Lugo de Justit. & Jur. disput. 16. sect. 5. per totam. Rebell. lib. 2. quest. 18. & Diana Coordinat. tom. 6. tract. 3. resolut. 148. & seqq. usque ad resolut. 157. Alii verò 10 distinxerunt, vel vicinus Confessarium consulens paratus est ejus dictis acquiescere; & suadendus est, praxim hujus fori Patavini servare, videlicet, animalia damnicantia in campis

pis reperta ad Judicem cum duobus saltem testibus deducere, querelam de damnis datis contra eorum dominum intentare, deinde in stabulum publicum illa reponere, donec Judex Justitiam faciat, sic enim constabit de corpore delicti, de damno & injuria sibi illatis. Speculator lib. 4. de injur. §. Sequitur, num. 19. Tondut. dict. part. 2. resol. civil. cap. 140. num. 11. & Juris ordine servato habebit, quod sibi debetur. Si quidem in puncto juris non licet hæc animalia sibi retinere, ut in terminis docet Bossius in tit. de Damni. dat. num. 10. Alciat. de Præsumpt. reg. 1. Præf. 50. Julius Clarus in addit. lib. 5. §. fin. quest. 82. num. 15. & 16. Vel vicinim poenitens ob expensas, vel alia gravia incommoda recusat id facere, & tantummodo petit, sibi responderi, an in conscientia teneatur restituere dicta animalia; & tunc cessante periculo scandalii, vel lationis alterius personæ, quæ forsitan de furto, vel de abigeatus crimine accusetur, eidem responderi poterit, ad restitutionem non teneri, si tanti valeant animalia, quanti damnum illatum. Diana dict. tom. 6. tract. 3. resol. 149. & 150. Cardin. de Lugo dict. disput. 16. sect. 5. Lessius de Justit. lib. 2. cap. 15. num. 58. Castropal. tom. 7. disput. 1. punct. 17. §. 3. num. 6. Vasquez de restit. cap. 5. dub. 9. & Rebell. dict. lib. 2. quest. 18. num. 6. & 7. ubi subdit, quod dummodò plus surreptum non sit, quam debeatur, compensans non sit obligatus ad restitutionem, estò quod peccaverit, Jus sibi ipsi dicendo. Verum tamen est, quod si Dominus animalium paratus sit rescire ea detinenti omne dampnum, & expensas, teneatur ea Domino restituere. Menoch. de Recuperand. posses. remed. nono num. 282. Farinacius de Furtis quest. 175, num. 136.

D E C I S I O LXXX.

A R G U M E N T U M.

Traduntur plures denominationes, ac definitiones Virtutis.

S U M M A R I U M.

1. Virtutis nomen quid significet?
2. Exorcismorum Ecclesia Virtus.
3. Herbarum Virtus ad sanandos morbos.
4. Virtutis definitio.
5. Opus Virtuosum ut sit, quid requiratur?
6. Medium duplex, aliud Rei, aliud rationis.

PETITUM fuit: Quid sit Virtus? & quæ requirantur, ut opus aliquod sit Virtuosum? Præmiserunt pro resolutione primæ partis Quæsitum, Nomen Virtutis diversas habere significationes; siquidem Primo significat robur, & potentiam. In brachio virtutis tuæ dispersisti inimicos tuos. Psalm. 88. Dextera Domini fecit virtutem. Psalm. 117. Secundo denotat operationem aliquam mirabilem, infuetam naturæ, & miraculosam, quæ potest resultare ex verbis, ex herbis, & ex lapidibus. Quamvis enim Plinius lib. 28. cap. 2. scripserit, Maxima quæstionis est, & semper incerta, valeant ne aliquid verba, & incantamenta carminum? & Socrates, quem citat Balthasar Bonifacius in Ludier. Hist. lib. 14. cap. 6. dixerit, Incantationes sunt Verba animos decipientia, juxta spei, vel timoris conceptionem: Et Martin. Delrius Disquisit. Magic. lib. 3. quest. 4. sect. 7. & seqq. ostendunt, plurima superstitio-

num, & vanæ observantiæ exempla verbis, seu orationibus ad sanandum adhibitis; tamen negari non potest, Ecclesiasticas benedictiones, & Exorcismorum verba ab Ecclesia approbata, & à sanctis viris adhibita, divina favente ope, virtutem mirabilia operandi, & sanitates concedendi habere, ut pluribus exemplis demonstrat P. Bagata in Admirand. Orbis Christiani tom. 1. lib. 6. cap. 5. à num. 17. & seqq. ubi verba in parvis schædulis conscripta instar ferri ponderosa fuerunt. Idem de S. Antonio Archiep. Flor. narrat P. Menochius nelle Suore part. 1. cent. 2. cap. 72. Pariter P. Bagata tom. 2. lib. 5. cap. 4. §. 2. ubi plurimi Exorcismi miraculosi. Herbis autem, & lapidibus plures insitas a Deo esse virtutes, potissimum ad hominum sanitatem, præter Discordiam, Mattheol. & Castorem Durantem testantur plures tum antiqui, tum moderni scriptores, quos refert Gasp. Scottus Soc. Jesu in sua Physica Curiosa lib. 4. cap. 15. per totum, & P. Bagata d. tom. 1. lib. 5. cap. 1. ubi de lapidibus admiranda varia, & lib. 7. cap. 2. ubi de herbis, & floribus medica virtute præditis. Tertiò virtutis nomen indicat potestatem faciendi miracula; juxta illud Luc. 6. Quia virtus de illo exibat, & sanabat omnes. Quarta demonstrat rei energiam ad aliquid faciendum modo quodam singulari. Sap. 7. Dedit mihi scientiam, ut sciam virtutes elementorum &c. Et virtutes radicem. Quintò continet artem, studium, vel professionem, juxta parabolam decem talentorum, quæ data sunt Unicuique secundum propriam virtutem. Matth. 25. Sextò fert nomen Angelorum primi ordinis secundæ Hierarchiæ. Rom. 8. Neque Angeli, neque Principatus, neque Virtutes. Septimò innuit donum aliquod supernaturale à Deo datum, seu infusum Act. 1. Accipietis virtutem supervenientis Spiritus Sancti in vos. Octavò hoc nomen Virtus significat honorem, seu dignitatem. Apoc. 5. 12. Dignus est Agnus, qui occisus est, accipere Virtutem, & divinitatem. Nonò idem est Virtus, ac perfectio, seu præstantia. Psalm. 29. Præstitisti decori meo virtutem. Decimò hoc nomen Virtus significat Virtutes tum Theologales, tum Cardinales, seu Morales, tam infusas, quam acquisitas, ut eruditè explicat Eminentiss. Cardin. de Lauræa in 3. l. sentent. tom. 2. de Virtutibus in genere disput. 1. art. 1. Quarum virtutum tum naturalium, tum supernaturalium in genere definitio fuit requisita.

Igitur Philosophi Doctores dixerunt ex Aristot. 2. Ethic. cap. 6. quod Virtus sit, quæ habentem perficit, & opus ejus bonum reddit. Quam definitionem explicat ibidem Sylvest. Maur. Societ. Jesu in suis commentar. tom. 2. Humanarum Literarum Professores ex lib. 3. Phil. Mor. Emanuelis Thesauri, definierunt Virtutem, quod sit, Ne quid minus, Ne quid parum. Vel quod, Nec citra, nec ultra: vel, Quod decet, & quod licet. Vel, quod sit Mediocritas a ratione præscripta. Canonistæ dixerunt: Virtutem esse habitum mentis bene constituta. Ex Gloss. in cap. de pudicitia. 32. quest. 5. & ex Loterio de Re benef. lib. 2. quest. 50. num. 96. Theologi Thomistæ ex Mag. sent. 2. dist. 27. & ex S. Thom. 1. 2. quest. 55. art. 4. voluerunt, Virtutem esse bonam qualitatem mentis, quæ rectè vivitur, quæ nullus male vitur, quam Deus in nobis sine nobis operatur. Et eam explicat, & tuetur Gonet. in Olyp. Theol. Thomist. tom. 3. tract. 4. disput. 1. num. 37. Scotistæ tandem ex Scoto in 3. sent. d. 26. quest. unic. sub H. §. ad secundum licet dicatur, sic voluerunt definitam virtutem, ut scilicet sit Habitus ele-